


*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through. The text is mostly illegible but appears to be Latin.]*



# LIBELLVS.

Epistolaris, à pio & doctissimo viro, Heynricho Bullingero, Tygurinæ Ecclesiæ in Heluetia pastore fidelissimo & vigilantissimo, pressis & afflictis, Ecclesijs in Hungaria, earūdemq; Pastoribus & Ministris transmissus.



ANNO. DOMINI.  
M. D. LIX.



Rain  
535

TYPOGRAPHVS OMNI  
bus Ecclesiarum Ministris per  
Hungariam & Transylua-  
niam Christum sapere &  
viuere.

Veteri superstitioni addicti querulatur, apud  
cultores Euangely nulla conspici miracula: qua  
calumnia Veritatem Christi eneruare nituntur.  
Porro si plane caci non essent, quotidiana mira-  
cula illis in oculos incurrerent, Sicut illud di-  
uinum et stupendum, quod Deus has regiones,  
iam iam impulsas & nutantes, speciali sua cu-  
ra, contra tot potentissimorum hostium, sub te-  
nella serensu, principum nostrorum umbra, tue-  
tur atq; defendit. Ad hanc magnam benignita-  
tem nequaquam nos, qui infinitis uitijs scatemus,  
Deum impellimus: Verum multi pij et prestantes  
viri, quorum uota pronobis apud Deum ualent.  
ex quorum numero est et author libelli huius.  
Quare et nos ueternum excutiamus, piaq; exē-  
pla sequamur. Grata sit etiam piorum uirorum  
pro nobis sollicitudo: & oremus ut Deus uulne-  
ra nostra sanet. amen.



FIDELISSIMIS

Pastoribus, & Sanctis Dei Ec-  
clesijs dispersis per vngariam,  
fratribus in Christo honoradis  
& dilectis, Gratiam & pacem à  
Deo patre nostro, per Domi-  
nostrum Iesum Christum,  
precatur eiusdem Iesu  
Christi seruus, Heynri-  
chus Bullingerus, Ty-  
gurinę Ecclesię  
minister in  
Heluetia.

Gratias ago clementissimo Deo  
Patri nostro, per Dominū nostrum  
Iesum Christum, quod vos ex Anti-  
Christianis tenebris vocauit, in di-  
lecti sui filij admirabilem lucem: se-  
duloq; gratię eius supplico, vt idem  
A 2 quod

## LIBELLVS EPIST

idem quod cepit in vobis fundare regnum suum prouehat & conseruet in diem vsq; illū, quo Dominus noster Iesus christus magna cum gloria venturus est iudicare viuos & mortuos. Quem quidē diem ea de causa non procul abesse existimo, quod sanctorum Dei prophetarum & apostolorum vaticinia de vltimis illis temporibus sic depræhendimus adimpleta, vt etiam pura euangelij predicatio post tantam Antichristi porē. & seductionē, nunc rursus toti fere mundo innotuerit. Ego certe cum intelligerem ex optimorū vestratum virorum literis, inde ad me missis, Euāgelium Christi Dōini vobis etiam, qui longe lateq; per Hungariam sub imperio magni Turcæ dispersi estis, adeoq; in ipsa Turcā & Constātinopoli vrbe regia annūtiari, meos quoq; volui adijcere currentibus in via Domini stimulos, ac de

## HEYNR. BVLLING.

ac de fidei & spei nostra certitudine colloqui vobiscum, vt quemadmodum cepistis, ita etiam per gratiam Dei constanter perseueretis ingredi in vjs Domini.

Quia enim fideles testantur, lucubrationes meas, quas iam annis aliquot ad vtilitatem Ecclesiarum, multis viris bonis vrgētibus, edidi, vobis esse acceptas, non potui non sperare, hoc meum scriptum, quod singulariter dicatur, fore vobis gratissimum.

Dominus Iesus, rex & pontifex noster vnicus, concedat mihi apud vos loqui, & vos ea recipere, quæ faciunt ad solius ipsius gloriam, & animarum vestrarum salutem: Amen,

A;

## LIBELLVS EPIST.

**A**t in primis scio, aduersarios graues & multos, sicut in nostris, ita in vestris quoque partibus totos in hoc esse, vt nos ex statione nostra propellant, ac doctrinam fidemque nostram de mendacio reddant suspectam, Ideo nouationem & dissidia, in religione oborta, veluti certissima falsitatis argumenta obiectare.

**QVI SINT NOVATORES**  
in Religione.

Ceterum quis nesciat nouatores esse, qui post traditam veritatis à Christo Domino, & ab Apostolis eius, doctrinam, nouam & alienam ab illa comminiscuntur, proferunt atque tuentur, hoc est, qui non contenti ea doctrina, quæ nobis veteri organo, in libris inquam vtriusque testamenti tradita est, dogmata insuper multa, & ritus varios, neque in illis traditos, neque cum illis consencientes, sed per omnia

## HEYNR. BVLLING.

omnia discrepantes, pro suo confingunt & decernunt arbitrio.

Rursus, quis nesciat nouatores esse, qui omnia sua ad antiquissimas referunt scripturas, omniaque sua scripturis diuinis probari postulant. Diuus Paulus, obsecro vos fratres inquit, vt consideretis eos, qui dissidia & offendicula gignunt contra doctrinam, quam didicistis, & declinetis ab eis.

*nom.*  
*Rom. 16.*

## DISCESSIO

En præcipit Apostolus discessionem ab illis, qui dissidia & offendicula gignunt contra doctrinam, quam didicistis, ait: non contra doctrinam, quam disceris. Atqui posterius, & aliquot post Apostolorum mortes seculis accesserunt dogmata & ritus, quos obtrudunt nobis papistæ, & propter quos ab illis recessimus. Proinde, quod fecimus, ex-

A4

precepto

LIBELLVS EPIST.

precepto apostolico fecimus, vt inde nobis laus, non vituperatio debeat.

2. Tim. 3. Predixit idem apostolus, fore in  
 4. postremis temporibus, vt quidam a fide deficiant, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis demoniorum, non retinentes doctrinam sanam, sed diligentes sibi doctores mendaces, qui fabulas doceant. Contra hos quoque non aliud dat consilium, quam discessionem ab eis, & ne quid recipiamus alienum a doctrina apostolica, vel sacrascriptura, que possit eruditum reddere ad salutem per fidem, que est in Christo Iesu. Et addit mox. Omnis scriptura, diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, que est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

omnia

HEYNR. BVLLING.  
 OMNIA VERE PIETATIS

*Plene exposita sunt literis Sacris.*

Consequens est itaque, falsissimum esse, quod fundamento dogmatum & rituum suorum collocantes dicunt, non omnia, que ad salutem et perfectam Ecclesie Constitutionem pertinent, sacris esse prodita literis, & idcirco quibusdam traditionibus, & ecclesie institutis, aut constitutionibus, ad sacriandos scripturae defectus, opus esse. Paulus enim diserte dixit, sacras literas posse eruditos reddere ad salutem per fidem. Item, scripturam utilem esse ad omnes res utiles & necessarias ecclesie, ad doctrinam, ad confutationem, ad assertionem, ad reformationem, ad institutionem, addit, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quid, obsecro, in his requiras?

Et iterum idem ille. Hec tibi 2. Tim. 3.

A 5 scribo ait.

## LIBELLVS EPIST.

ait, sperans fore, vt veniam ad te cito. Quod si tardius venero, vt noris, quomodo oporteat te in domo Dei versari, que est ecclesia Dei viuentis, columna et basis veritatis. En dicit Apostolus, se ei formam scripta epistola tradidisse, docentem, quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei, columna & basis veritatis, eo quod in diuinam recumbat veritatem,

*Manh.* 16. ædificata supra firmam petram  
*Eph.* 2. Christū, ex quo habet, vt sit & ipsa  
*Pet.* 2. firma petra & veritas, consistens contra Portas inferorum.

## DE TRADITIONIBVS.

Quod attinet ad traditiones Apostolorū, quas fingūt oretenus & veluti per manus, non per scripta, posteris esse traditas Non negamus, apostolum alicubi meminisse traditionum: Sed contendimus Paulum non eas intellexisse, quas aduer-

## HEYNR. BVLLING.

aduersarij, de vsu imaginū in templis, de Missa celebranda, de oratione pro defunctis, & inuocatione Diuorum, similibusq; nugis comminiscuntur. Hæc enim pugnant cum scriptis Apostolorum. At onstat Apostolos, Spiritu veritatis instructos, contraria & pugnantia, inter se non tradidisse.

Addimus his & illud, ea, quæ aliquando viua voce sub titulo traditionū sunt proposita Ecclesijs, demū ab ipsis Apostolis, Apostolorumq; discipulis relata esse in literas, vt iam in ipsis scripturis etiam viuas traditiones ( quantum saluti nostræ sufficit) habeamus compræhensas.

Etenim beatus Lucas in proemi. *Luc.* 1. o Euangelij sui manifeste testatur, se scripro compræhensurum, quæ in Ecclesia tunc erant certissimæ fidei res, sicut tradiderant, qui ab initio oculis



## LIBELLVS EPIST.

oculis viderant, ac pars aliqua fuerant eorum, quæ narrabantur.

Et quamuis obiici soleat, multa præterea facta aut dicta esse, quæ scriptis compræhensa non fuerint, sicuti ipse testatur Ioannes Apostolus: idem tamen semetipsum exponens, addit: Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quod Iesus est Christus, filius Dei: & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Sufficit ergo quod est ad fidem plene informandam, & ad vitam æternam paradandam. Quid post hæc requiras amplius?

Traditio Pauli fuisse dicitur, vt mulier tecto capite sit in Ecclesia, vt ibidem taceat, & ministeria sacra non obeat. Et vt fideles pauperes manibus laborent. Cumq; ipse profiteatur, has esse traditiones, at tamen easdem ex scripturis demonstrare,

Ioan. 20.  
et. 21.

1: Cor. 11.  
1. Cor. 14.  
1: Tim. 2.  
2: Tefs. 3.

## HEYNR. BVLLING,

strate, & easdem his confirmare contendit. Ad scripturas ergo prouocamus iure optimo, quoties aduersarij traditiones nobis obiiciunt.

Vrgent traditiones alicubi Irenæus & Tertulianus veteres Ecclesiæ scriptores, & cum ijs nonnulli alij Ecclesiæ doctores: sed in his potissimum, quod scripturæ vtriusq; testamenti, quas Canonicas appellamus, diuinitus sunt traditæ, & ille ipsæ pig, secundum analogiam fidei exponendæ: Deniq; symbolum Apostolicum, ipsam veram fidem verè complecti. Consentiunt hæc omnia cum scripturis, vnde nemo nostrum illas traditiones rejicit: & si quæ sunt huius generis aliæ. Veteres vero alicubi commemorant traditiones, quæ vt ab omnibus Ecclesijs non fuerunt concorditer receptæ: ita nihil momenti ad salutem, aut inter semetipsas iustè consensi-

## LIBELLVS EPIST.

sensiones habent: de quibus aliàs.  
Obijciunt, plurima Christi & fidei mysteria in scripturis non exprimi. vt illud, Quod credimus, Deum esse vnum essentia, trinum personis, Christum Patri esse consubstantialem: Eundem constare duabus naturis, in vna indiuisa persona, habentem animam rationalem. Spiritum Sanctum procedere à Patre & filio, quæ quidem mihi omnia etiam ante annos aliquot scripto edito obiecit Ioannes Cocleus, homo pestilens, & scripturarum sanctarum hostis profusus. Caterum, Domino iuuante, demonstraui, edita Responsione, omnia hæc, adeoq; omnia ad fidei & pietatis perfectionem pertinentia, plene scripturis diuinis esse comprehensa & tradita Ecclesiæ, Et Ecclesiam ipsam pastoris solius vocem agnoscere, aliorum non agnoscere.

DE

## DE AVTORITATE

Ecclesiæ, Conciliorum & Patrum.

Si qui ergo nobis obijciunt Ecclesiæ autoritatem, Conciliorum decreta, patrum eruditionem, sanctimoniam & vetustatem, Meminerimus Ecclesiam esse sponsam Christi: sponsam autem seruare fidem sponso, ac solius voci sponsi intendere. Constat enim, Ecclesiam omnem autoritatem habere ex Verbo Dei. hoc enim colliguntur & conseruantur Ecclesiæ Dei.

Placuit Domino Ecclesia Israelis, quam diu perstaret in verbo Dei, vbi deflexit, appellatur ab omnibus Prophætis cõcorditer, adultera, & scorum Diabolis.

Fuit in Iudea & Israel Ecclesia Dei à temporibus Salomonis ad seculum vsq; Iosif Regis: sed quantas quidem hic tollit abominaciones, quarum aliquot durauerant à temporibus Salomonis, & originem ex

HEYNR. BVLLING.

ex ipso Salomone trahebant.

Nullum habuisset locum apud Iosiam, Regem laudatissimū, quod hodie multis videtur esse irrefragabile: Ecclesia non errat: regitur à Spirritu Dei: tot iam seculis hoc v-  
furpatum fuit: tot fuerunt pīj & religiosi Reges, Asa, Iosaphat, & Ezechias, quorum nullus excelsa & alias abominaciones sustulit: non debet ergo Iosias illa tollere. Sustulit enim illa omnia, & laudem meretur à Deo, vt regibus, post Dauidem, præferatur omnibus.

Quid ergo obijcitur nobis vetustas? Quid obijciuntur illustres personæ? Quid sanctitas & eruditio Sanctorum? Hac omnia Iosiam impedire potuissent: Sed dum inspicit verbum, ac cernit, quid hoc præcipiat, relictis omnibus alijs consuetudinibus, ritibus, personis & testimonijs, totus in obedientiam  
& ex-

2. Reg. 22.  
E. 23.

HEYNR. BVLLING.

& exequutionem verbi Dei effunditur. Ac reuera vetustiores, sanctiores eruditioresq; sunt Prophetæ Dei, adde Apostoli Christi, quam omnes omnium seculorum Patres, Doctores & Episcopi.

CONSENSIO REGNORVM  
& Conciliorum.

Si quis vero arbitratur consensionem tot Conciliorum & Regnorum facere ad comprobationem receptæ alicuius religionis, Quanti quæso fiet à nobis consensus omnium Patriarcharum, Prophetarū & Apostolorum in ea religione, quam nos hodie traditam ex scripturis recepimus? Si quis nobis ampla regna Galliæ, Hispaniarum, Italiæ, Germaniæ, & magnā partem Poloniæ recenseat: vnus Pauli labores plura nostræ religioni consensientia regna dabunt. Hic enim  
B à Hiero

Rom. 15.

à Hierosolimis & circumiacenti-  
bus Regionibus omnia ad illyri-  
cum vsq; Euangelio Christi imple-  
uit. Plergo & religiose beatus  
Augustinus iudicauit, dum solis  
libris canonicis credenda esse puta-  
uit. Alios, inquit, ita lego, vt quã-  
talibet sanctitate, doctrinacq; præ-  
polleant, non ideo verum putem,  
quia ipse ita senserunt, sed quia mi-  
hi, vel per illos libros canonicos, vel  
probabili ratione, quod à vero nõ  
abhorreat, periuadere non potue-  
runt.

Idem aduersus Maximum Ar-  
rianorum Episcopum lib. 3. dispu-  
rans. Sed nunc, inquit, nec ego Ni-  
cenum, nec tu debes Arminense,  
tanq; præiudicatus, proferre con-  
cilium, nec ego huius, nec tu illius  
auctoritate de inest, scripturarum  
auctoritatibus, non quorumq; pro-  
prijs, sed vniusc; communibus testi-  
bus, res

bus, res cum re, causa cum causa,  
ratio cum ratione concertet.

Prouocauit ergo ipse Augu-  
stinus à Patribus & Concilijs ad  
scripturas. Vos ergo, fratres in Do-  
mino charissimi, in his persistite,  
quæ vobis tradita sunt ex scriptu-  
ris, omnia deniq; ad regulam scrip-  
turarum probate, & ea quæ à scrip-  
turis sanctis aliena sunt, quocumq;  
tandem furo tingantur, repellite.

1. Theff. 5.

DEVS IN CHRISTO OMNIA DE-  
dit nobis vitæ & salutis.

Porro veracissima hæc scriptu-  
ra sancta docet, Deum conditorem  
omnium summum esse bonum, bo-  
norumq; fontem vnicum & æter-  
num, qui se nobis in filio singulari-  
ter aperuit, & in filio omnia vitæ  
& salutis contulerit, ita, vt qui ve-  
ra fide, vnicum Dei filium possi-  
deat, omnia vitæ, & salutis perfe-  
ctissime possideat, necq; vllis alijs

## LIBELLVS EPIST.

& non scripturam, ipsiusq; filij  
de doctrinam ipsis subijci conten-  
dimus.

## DE IUSTIFICATIONE.

Eadem scriptura & doctrina  
doctoris & Pontificis summi, do-  
mini nostri Iesu Christi, plene nos  
erudit de Iustificatione vera Chris-  
tiani hominis, que summam obti-  
net in dogmatibus, erudiens nos,  
propter quid absoluti à peccatis, &  
liberati à poenis Inferorum com-  
meritis, filij Dei efficiamur, here-  
desq; omnium donorū Dei & vi-  
te æternæ: Nimirum non propter  
nos & nostras virtutes, sed propter  
Christum verum Deum & ho-  
minem, crucifixum pro nobis &  
resuscitatum ex Mortuis.

Talem autem ostendit nobis  
ordinem, salutis nostræ. Ante  
omnia docet inspicere Deum patrē  
Misericordiarū, qui gratis homi-  
nes elegit

## HEYNR BVLLIIG.

nes elegit, & gratia tua iustificat.  
Nō enim est volētis neq; currētis,  
sed miserētus Dei, vt secundū electi-  
onem propōitū Dei maneat, nō ex  
operibus iusticię, que faciebamus  
nos, sed Misericordia vocantis.

Occurrit autē secundo loco ipse  
Christus Dominus, propter quem  
pater cœlestis nobis est misericors,  
& in quo nos complectitur. Pau-  
lus enim, Deus, ait, prædestinauit  
nos, vt adoptaret in filios, per Iesū  
Christum, in se, iuxta benepla-  
citum voluntatis, sue, vt laudetur  
gloria gratię sue, qua charos nos  
reddidit per ill. m dilectum, Quo-  
niā in illo complacitū est patri vni-  
uersam plenitudinem in habitare,  
& per eum reconciliare cur cœta er-  
ga se, pacificatis per sanguinem  
crucis eius, per eundem, siue que  
in terra sūt, siue que in cœlis.

Hec quidem prævidens Isaias  
sanctif-

et non aliena.

Iustificatio enim, quæ est absolutio à peccatis, et adoptio in numerum filiorum Dei, in scripturis et Actiue, et Passiue (vt satis clare et crasse adeoq; scolasticè loquamur) accipitur. Actiue significat iudicium vel iudicationem Dei, qua is credens absolutus à peccatis, recipit q; purgatus in gratiam, habens filiorum adeoq; hereditum loco. Passiue vero significat ipsam fideliū à peccatis abolitionem, atq; in filios Dei adoptionē. Vna, prima significatione ipsius Dei adeoq; solius Dei opus est. Secunda vero significatione, operis aut beneficii Dei susceptio. Oportet itaq; organum ac instrumentum esse homini, quo recipiat iustificationem, Id dicimus esse fidem.

FIDE NOS RECIPERE CHRSTM

Quod si quis putat à scripturis

est

esse alienum, fide nos Christum, iusticiā Christi, remissionem peccatorum, et omnia bona per fidem recipere, audiat Paulum dicentē. Ego in hoc tibi Paule aparui, ait *Act. 26.* Dominus, vt constituam te ministrum, mittam te ad populos, vt liberetur à potestate Sathæ, & accipiant remissionem & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, que est in me.

Et iterum, Per Christum, ait, omnis, qui credit, iustificatur. *Act. 13.*

Alibi idem dicit, Christum per fidem habitare in cordibus nostris.

*Eph. 3.*

Sed & sanctus Petrus. Christo omnes prophete, ait, testimoniū ferunt, quod remissionē peccatorum accepturus sit per Nomen eius, quisquis crediderit in eum, Ergo Apostoli docuerunt, per fidem communicari nobis Christum et omnia

*Acto. 10.*

omnia

LIBELLVS EPIST.

omnia Christi dona.

FIDE, NON OPERIBVS, A DEO  
*que sola f. de iustificamur.*

Ceterum fidei ita tribuimus  
 hanc iustificationem, siue iustifica-  
 tionis perceptionem, vt operibus a-  
 dimamus. Ex scripturis enim doc-  
 ti asseruimus, sola fide iustificari  
 hominem, non per opera. Iustitia et  
 vita nobis promittitur, et in solo  
 quidem Christo promittitur, At  
 fide non operibus percipimus pro-  
 missionem.

Cum mortiferum venenum  
 infusum corporibus Israelitarum  
 per dipsates innoxium redderetur,  
 et vita, veluti iam confecta, repara-  
 retur, non vllis operibus, veluti o-  
 rationibus, elemosinis, corporis  
 castigationibus, aut sacrificijs reno-  
 uabatur, sed solo contuitu aenei  
 serpentis, Si quis enim omnem  
 suam substantiam erogasset pau-  
 peribus

Gal: 2.

HEYNR BVLLING.

peribus, serpentem autem aeneum  
 non aspexisset, nihil inesset sani-  
 tatis. Quod si largas dispersisset  
 elemosinas, et ardentissimas Deo  
 profudisset preces, semel etiam as-  
 pexisset serpentem, propter aspec-  
 tum, non propter preces aut elee-  
 mosinam, restitutus aei fuisset sanitas.  
 At Christus Dominus in Euange-  
 lio secundum Ioannem dicit: Si-  
 cut Moses exaltauit serpentem in  
 deserto, ita exaltari oportet filium  
 hominis, vt omnis qui credit in eum  
 non pereat, sed habeat vitam aeter-  
 nam. Proinde fide sola participa-  
 mus vitae. Veteris enim serpentis  
 veneno afflati a morte non libera-  
 mur, nisi per contuitum Christi  
 crucifixi. Contuitus autem, siue  
 aspectus, ipso etiam Christo inter-  
 prete, fides est, quam toties ipse  
 Dominus poscit in Euangelio ab  
 ijs, quos curat.

1008

lairo

## LIBELLVS EPIST.

Iairo dixisse legitur, Noli timere, crede tantum, et salua erit filia tua.

Huc pertinet quod Paulus tanto studio inculcās demonstrat, iusticiā nostram esse imputatiuam. Plus enim quam decies hoc vocabuli repetendo inculcat in 4. cap: Epistolę ad Romanos. Etenim Deus ex gratia peccata nostra nobis non imputat. Rursus autem propter fidem, iusticiam Christi nobis pro nostra imputat. Porro imputatio in merito aut opere nostro locum non habet, eodem Paulo dicente: Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Porro ei qui non operatur, sed credit in eū, qui iustificat impiū, imputatur fides sua ad iusticiam.

Rom: 4.

2. Corint. 5.

Idē rursus. Deus erat in Christo, inquit, mundum reconcilians sibi

## HEYNR BVLLING.

sibi, non imputans eis peccata sua, Et, Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nōs efficeremur iusticia Dei per illum.

Et iterum Gratia estis saluati Eph. 2. per fidem, idē non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Nam in suis sumus figmentum, conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quę preparauit Deus, vt in eis ambularemus.

Ne p̄ vero est, quod eludentes hęc omnia, dicant aduersarij, ista intelligenda de operibus et is, non fides. Vt enim Ephesij sub Lege nō fuerant, vt pore ethnici: ita Abraham ante Legem iaram fuit annis plus minus 430. et tamen ex operibus non legitur iustificatus, licet fidelis esset, et pater appelleretur credentium.

Hęc cum sole et ipsa luce clariora sint, nihil efficient sua sophisticatione



timationem aduersarij, clamantes,  
nos non sola fide, sed per opera  
meritaq; iustificari nostra, Satis-  
factionibus nostris purgari. Nihil  
efficient locis aliquot, operibus in  
speciem tribuentibus iustificationē,  
adductis.

## PUGNATUR PRO CHRISTO

*conseruando in Ecclesia.*

Neq; vero pro lana caprina  
altercamur, dum hac in causane  
latum quidem culmum ab asser-  
tione nostra cedimus. Pugnamus  
pro Christo seruatore nostro, ne is  
nobis eripiatur, neue gloriacreatori  
vnico debita cedat creaturis. Ete-  
nim si nos ipsi per nosmetipsos  
seruari, et per opera nostra iustifi-  
cari possumus, iam nos ipsi Salua-  
tores nostri sumus. Quis iam  
Christo locus erit reliquus? Lan-  
guentes enim, non validi, opus ha-  
bent medico. Hac ratione concul-  
catur

catur gratia Dei. Paulus enim, nō  
aspernor, inquit, Gratiam Dei, *Gal. 2.*  
Nam si per Legem iustitia: igitur, *Gal. 5.*  
Christus frustra mortuus est. Et  
iterum: Christus vobis ociosus fac-  
tus est: quicunq; per legem iusti-  
ficamini excidistis à Gratia. Nam *1. Corint. 1.*  
alibi dicit: Christus Iesus factus  
nobis fuit sapientia à Deo, iustifica-  
tio, sanctificatio, et redemptio. vt *Hierem. 9.*  
quemadmodum scriptum est: Qui  
gloriatur, in Domino gloriatur.  
Ab sit ergo vt gloriar, nisi in cruce  
Domini nostri Iesu Christi, per qu-  
em mihi mundus crucifixus est,  
& ego mundo.

QV MODO DICATUR SOLA FI-  
*des iustificare.*

Porro, Nullum hic periculum  
est, ne forte vilescant bona opera, &  
nullum in Ecclesia locum habeant.  
Nam duplici ratione ac modo di-  
citur sola fides iustificare: Vel, vt  
exclu-

excludat meritum nostrum & opera nostra, ne & his, & non mere Gratie Dei, per Iesum Christum, tribuatur iustificatio. Et ira verissimū, & orthodoxum & catholicū est, sola fide iustificari: vel, vt solitaria fides sine bonis operibus afferatur. & ea ratione falsissima propositio, vel propositiōis expositio. Cum enim per fidem Christum admittentes recipimus, non est is in nobis ociosus.

Atqui eodem modo negat Beatus Iacobus Apostolus, Nos fide  
*Iacob. 1.* » sine operibus iustificari. Proinde si  
 » dei iustificationem tribuentes, operibus  
 » adimētes, non cōtendimus,  
 » fidem veram esse sine charitate,  
 » aut sine operibus bonis: sed negamus,  
 » opera bona, que sequuntur ex  
 » fide, certo causam esse nostre salutis  
 » propriam. Christus enim est iusticia nostra. Calor solis solus est,  
 qui cale-

calescit terram, & ea que in terra sunt: non tamen calor in sole solus est: quia semper coniunctus est cum luce vel splendore. Propter coniunctionem tamen hanc inseparabilem caloris & splendoris, non hic facit quod ille. Quamvis enim calor non sit sine splendore: hic tamen non calescit, sed calor solus. Sic, cum fides non sit sine charitate & bonis operibus, hec tamen non iustificat: fides sola iustificat.

## FIDES QUID?

Fides enim proprie firmus est conscientie vel animi nostri assensus, Spiritu Dei sancto afflatus, quo firmiter Christum cum bonis eius sic amplectendo recipimus, & nostrum esse credimus, sicut Evangelio nobis predicādo offertur. Fides ergo proprie apprehendit, & recipit Christum, sicut sol proprie calescit calore, Ex sole est splendor: ex

## LIBELLVS EPIST,

Rom. 8.

dor: ex fide spes & charitas, Spe expectamus promissa perseverando patienter, iuxta illud Apostoli: Spe servamur. Porro, spes si videatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret?

## SPES QUID?

Si vero quod non videmus speramus, id per patientiam expectamus. Proinde spes distinguitur a fide: Cum audiamus, spem proprie esse donum Spiritus Divini, quo confirmati, certo & equo animo expectamus in nobis perficiendam salutem, & adoptionem, fide in Christo comprehensam. Charitate vero in Deo acquiescimus, & omni observantia eum demeremur.

## CHARITAS QUID?

Charitas enim proprie donum Dei est, quo eius in nos charitate fruimur, eumque diligimus, qui prior nos dilexit, adeoque totos nos in fratres

## HEYNR. BVLLING.

fratres nostros effundimus, ita declarantes, nos recepisse Christum. Hactenus ergo & charitas secernitur a fide & spe. Et quoniam se deponit & effundit charitas, eatenus antecellit fidem, quatenus hec accipit, illa erogat vel elargitur. Ideo <sup>Maior charitas quomodo.</sup> ab Apostolo dicitur Maior. Latissime enim patet per opera misericordie: Adde, quod ipsa perseverat in futuro seculo, in quo fides ipsa, rerum experientia succedente, cessat. Ideo tamen fidem charitas natura non precedit, non iustificat.

Principio enim oportet nos plantari fide, ut deinde bonos charitatis fructus proferamus, Nam Paulus <sup>Gal: 5.</sup> dicit, fidem se exercere per charitatem. Et Beatus Ioannes, Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum. <sup>1. Io: 5.</sup>

Precedit ergo dilectionem naturas

uitas filiorum Dei, quam fide fieri  
idem Apostolus dixit, Ioannis  
1: Dedit eis potestatem filios Dei  
fieri, qui credidisset in nomen eius.

Matth: 12.

Præcedit cognitio Dei dilectio-  
nē. At fide cognoscimus. Et quis  
obsecro vidit vnq̄, viciosa arborē  
proferre fructum bonū? Oportet  
fane arborem prius esse bonam,  
quam bonum proferat fructum,  
Vtiq̄ ergo nō potest facere iusti-  
tiam, nisi sit iustus. Iustus, ait scrip-  
tura, operatur iustitiā, iustitia ergo  
iusti est fructus. Vnde vero iusti  
efficimur, nisi ex gratia Dei, si eā  
fide amplectamur? Paulus ergo to-  
ties illud prophete non frustra re-  
perit: Iustus ex fide sua viuet.

Rom: 1.

Gala: 3.

Her: 11.

IUSTIFICATIONEM SIGNIFI-  
care *absolutionem & remissionem peccatorū*

Scio, fratres, quam anxie hīc  
sudent aduersarij Christi & Ec-  
celsij, cotendentes, in hoc iustifica-  
tionis

tionis negotio, iustificationē non  
accipi pro sola remissione peccato-  
rum, & adoptione, sed etiam pro  
renouatione: vt simul contineat  
sanctificationem, & sanctificatio-  
nis fructus. Partiuuntur enim abso-  
lutionem peccatorum atq̄ adopti-  
onem, fidei partim, partim operi-  
bus. Ceterum, si nos, S, Pauli  
argumentationes excutiamus, vi-  
debimus ipsū fidei sic tribuere ius-  
tificationem, vt operibus qualibus-  
cunq̄ nihil eius velit impartiri.

Nam ad Rom: Iustitia Dei Rom: 3.  
manifestata est, ait, per fidem Iesu  
Christi, in omnes, & super omnes  
eos qui credunt. Non enim est  
distinctio. Omnes enim peccau-  
erunt, & destituuntur gloria Dei,  
Iustificantur autem gratis, per re-  
demptionē, quę est in Christo Iesu,  
quem proposuit Deus reconcilia-  
torem, per fidem.

Rom: 8.

In eadem Epistola opponit inter se iustificationem & condemnationem. Iustificatio ergo absolutio est à condēnatione. Per quid autem absolui mur? Per Christum, quem constat fide percipi. Dicit enim, Deus est, qui iustificat: quis ille, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, & qui suscitatus est. Mox opponit inter se iusticiā Legis, operum, inquam, & iusticiā fidei gratuitam. Illa dicit, ait, qui fecerit ea, viuet in illis. Fidei iusticia dicit: Si confessus fueris ore &c: Hęc ergo non innititur in opera, sed in mortem & resurrectionem Christi.

Actor: 13.

Nam & alibi idem Paulus, Notum sit vobis, viri fratres, quod per Christum nobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc  
omnis,

omnis qui credit, iustificatur. Et vsurpat pro eodē Apostolus, peccatorū remissionem, & iustificationem, Hanc non tribuit operibus, sed fidei.

Idem & Dauid dicit alibi: Beatus cui Deus imputat iustitiā absque operibus. Beati quorum remissa sunt iniquitates. Si vero Paulus rectē concludit, gratuitam esse iustificationem, sequitur, hanc positam esse in remissione peccatorū. Nam iustum definit, cui Deus peccata non imputat: Ergo Iustificatio est remissio peccatorum, gratia inquam, qua Deus, propter Christum, peccata non imputat.

Rursus enim, (quod & supra diximus) dicit Apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, nō imputans ei peccata. Eum enim, qui peccatū non nouit pro nobis peccatū fecit, vt essemus iustitia

Psal: 32.

Rom: 4.

Corint: 5. 21

iusticia dei per illum.

Proinde iustificatio est, iustos nos censerī propter Christi Sacrifitium, propter quod non sumus amplius sub reatu. Falsissimū vero illud est, quod obtendunt, hęc intelligenda esse de iustificationis initio, quam perficiant consequentia opera. Quasi vero gratia dei nostris perficiatur subsidijs: aut opera nostra perficiant, quod gratia dei per Christū absoluerē non potuit.

Paulus locis adductis tractat, non quomodo fideles incipiant esse iusti: Sed quomodo iustificati toto vitæ cursu retineant Iustitiā, a deo: & quę sit tota iustificationis ratio. Latro in cruce iustificatus fuit plenè Gratia Christi, quā fide percepit, neq̄ incepta eius iustificatio consequētibz operibus perfecta fuit.

QOMODO OPERA FIDEM PERFICIANt.

Vnde

Vnde quod Beatus Iacobus dixit, Ex operibus fidem Abrahę perfectā fuisse, non sensit, fidē Abrahę non fuisse efficacem priusq̄ filium offerret. Prius enim fidem ipsi ad Iustitiā imputatam asserit scriptura Gen: 15. Sed quod fides, *Exemplum Abrahę.* quę vera & efficax ab initio fuit in corde Abrahę, se iam etiam in tam insigni obedientię exemplo integram esse declarauit.

IUSTIFICATIONIS VOCABVLVM  
*dissimiliter vsurpat Paulus & Iacobus.*

Impari ergo significatione iustificationis vocabulum vsurpant S, Paulus, & S, Iacobus. Neq̄ inter se hac in causa pugnant, qui socias iunxerunt dextras, & in cōcilio, super hac ipsa questione celebrato, vt Acto: 15, pulcherrime consenserunt, Sic ergo Paulus intelligit per Iustificationē gratuitā, gratuitę Iustitię imputationem propter

LIBELLVS EPIST.

propter Christum, per fidem. Iacobus vero per Iustificacionem intelligit declarationem iustitię, quę fit per opera, quibus ostenditur & declaratur, veram & iustam esse fidem in iustificato.

OPERA BONA TOTA SVNT

*Gratie.*

Et opera bona fidelium, quę ex fide oriuntur, non modo originę trahunt ex Gratia Dei, sed medium & finem eorū debemus merę Gratiaę Dei.

Dominus enim in Euangelio dixit, Ego sum vitis, vos palmities: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū multum: Quia sine me nihil potestis facere.

Et Apostolus, Vobis donatum est, ait, pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum etiam vt pro illo patiamini.

Et iterum, Deus est is, qui agit in vobis,

HEYN BVLLING.

vobis, & vt velitis, & vt efficiatis pro bono amini proposito.

Rursus, Non idonei sumus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est.

Proinde rectissime dicitur, *Pre-* Augustinus  
mium boni operis, quod *rependit ad Valent.*  
Deus, gratuitum nihilominus esse *de Gratia*  
Dei munus. Coronat enim hic in *Libero*  
nobis bonum opus suū, quod *Arbitrio.*  
intendimus, quia filij & heredes Dei sumus ex Gratia, nostrum quoque, & velut nostrum propriū opus existimatur reputaturque. *Cap. 6. et 7.*

Proinde non negamus Deū fidelium operibus bonis reddere mercedem seu premium: sed volumus, vt vbique & in omnibus Christi beneficium agnoscarur, & palmam vbique & in omnibus obtineat Gratia Dei.

Que

Io: 15.

Phil: 1.

Phil: 2.

## LIBELLVS EPIST.

QVAE VERA BONA OPERA.

Ceterum autem cum loquimur de bonis operibus, non de electiis, quae homines sibi ipsis ex bona intentione, extra fidem charitatemque, adeoque sine verbo Dei confingunt, loquimur: sed de illis omnino, quae sunt secundum institutum verbi Dei, & ex fide vera, per charitatem sinceram, faciendo omnino quae precipit Deus: non autem imitando ea, quae veruit Deus, & inuigilando nostris intentionibus. Nam Deus, qui quid placeat nouit, etiam nobis quid faciamus exposuit. Electiis illis operibus, utcumque splendiant in oculis hominum, grauius offenditur Dominus.

Opimas hostias, & sacrificia amplissima, ex Amalechitis adducta, parabat in honorem Dei offerre Rex Saul: sed audit a Domino per Samuelem: Nunquid vult Dominus holo-

2. SAMU 13.

## HEYNR BLLING.

nus holocausta & victimas: & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae: & auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum magis est repugnare, & quasi scelus Idolatrie, nolle acquiescere.

Apud Isaiam quoque ait Dominus: *Aesai: 66.* Qui imolat bouem, quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Ratio omnium istorum haec est: Haec omnia elegerunt in visis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.

QVIBVS FRVCTIBVS VERA FIDES exprimenda.

Omissis ergo operibus electiis studeamus fidem nostram exprimere. Deoque



Rom: 12.

Deoq̄ seruire per s̄ctimoniã ani-  
me & corporis, & per charitatem.  
Tale enim Sacrificium requirit à  
nobis Dominus, vt custodiamus  
nos à mundi huius contagijs. &  
nosmetipsos offeramus Deo, hos-  
tiam viuam. Deinde, vt operibus  
charitatis iuuenus proximos, vel  
nos mutuum.

Paulus, Consummatio Legis,  
inquit, est dilectio.

Rom: 13.

Iob: 1.

Et Beatus Iacobus. Religio  
pura & immaculata apud Deũ &  
Patrem hæc est, Inuisere orphanos  
& viduas in afflictione sua, & im-  
maculatum se seruare à mundo.

Quorsum vero pertinet, bonis  
hisce & vtilibus bonis operibus, à  
Deo requisitis, præteritis, deligere  
& sectari opera, quæ suggerunt  
Sacrifici Pape & Monachi, ipsis  
quidem lucrosa, sed proximo no-  
xia, & coram Deo inutilia: imò  
peccata:

peccata: Studeamus potius ope-  
ribus, pœnitentia dignis, fuga viti-  
orum scelerumq̄, & studio virtu-  
tum nos approbare Deo.

REDEMPTIO CHRISTI MODIS  
omnibus est perfectissima.

Porro redemptionē nostram,  
cui negotium iustificationis incum-  
bit, paratā Christi morte & hostia,  
doctrina è veracissima Dei scriptu-  
ra deprompta, perfectissimā nobis  
omnibus esse docet. Dominum  
enim nostrum Iesum Christum se-  
mel in cruce oblatum, hostiam pro  
peccatis totius mundi expiandis,  
ita perfecte à culpa & pœna cre-  
dentes absoluisse, iustitiasq̄, vt  
nihil profus relinquatur vlli crea-  
ture repurgandum.

Apostolus enim ait, Vnica ob- Heb: 10.  
latione perfectos fecit in perpetuũ  
eos qui sanctificantur.

Hinc vero colligimus, doctri-

D nam

## LIBELLVS EPIST.

nam aduersariorū de aqua lustrali, peccata purgante; de Indulgentijs, pœnam condonantibus & culpam: Item de Missæ Sacrificiō pro peccatis vtuorum & mortuorum redimendis, deniq; de igne purgatorio, animas defunctorum expurgante, & similes doctrinas mētas esse nugas. Imō his obscurari meritum plenissimę passionis Christi, distrahiq; mentes simplicium, ne in vnicam Christi passionem omnem suam defigant fiduciam, sed operibus et signētis, nescio quibus, innitantur, ac sibi abominanda constituant Idola.

## INDVLGENTIAE PAPALES.

Si morte Christi plene absolui-  
mur credentes à peccatis, vt nihil  
nobis vel culpe vel pœnē inhereat,  
attestante Christo Domino & di-  
cente: Vade in pace; fides tua te sal-  
uam fecit: esto sana à flagello tuo:  
quid

Luc. 7.  
Matt. 9.  
Mar. 5.

## HEYNR BVLLING.

quid, obsecro, relinquatur diluendū aut condonandum indulgentijs?

## AQUA CONSECRATA.

Si sanguis Christi plene repur-  
gat à peccatis, aspersus cordibus fi-  
de, per Spiritum Sanctum: Quid,  
oro, opus fuerit Ecclesiæ aqua lu-  
strali, nisi aquas Mōsi lustrales re-  
ducere libeat?

## MISSA.

Si Christus, Pontifex secundū  
ordinem Melchisedech, semel se <sup>Heb. 7.</sup>  
obtulit, & à nemine præterea offer-  
ri potest: Si semel oblatus in cruce  
ideo non iterum offertur, quod se-  
mel oblatus omnium peccata ple-  
nissime expurgat: quid aduersarij  
Sacrificijs suis Missalibus, quibus  
se asseuerant filium Dei offerre  
quottidie Deo patri pro viuīs &  
mortuis? Quid agunt aliud, quam  
quod ex diametro pugnant cum  
D 2 mysterio

## LIBELLVS EPIST.

myfterio iudei noſtre maximoꝝ

## PURGATORIVM.

Si vero à miſericorde Deo aſſequimur, quod ſecundum verbum eius credimus, ſicut in Euangelio ſemel & iterum dixit, Fiat tibi ſicut credis: ac ſecundum verbum Dei credimus remiſſionem peccatorum, carnis Reſurrectionem & vitam æternam: Quis, oro, locus relinquetur purgatorio: Coinquinati purgantur. Credentes autem non ſunt coinquinati: quia credunt remiſſionem peccatorum: Ergo nihil eis reſtat purgandum. Credunt ſe aſſecuturos vitam æternam mox à morte illa corporea: quod ergo credunt, aſſequuntur, iuxta verbum & promiſſionem in Euangelio dicentis: Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam & in condemnationem ſeu iudicium

## MEYNR BVLLING.

eius non veniet, ſed tranſibit à morte in vitam.

Videtur, fratres dilecti, clariffime omnia vitæ & ſalutis nobis eſſe data plèiſſime in Chriſto, à Deo Patre, vt Sanctis nil proſus deſit. Paſſificis autem figmentis et nugis myſterium Chriſti tantum non obſcurari proſtigariqꝫ: recte vero nos in miſericordiam Dei per fidem Ieſu Chriſti inſpicere, exultantes in Gratia illa ineffabili. Vnde & proreuelari & tam ſalutaris Euangelij merito, æternas benedico Deo gratias agimus: Ei ſit laus & gratiarum actio, ex hoc & vſqꝫ in ſeculum.

CHRISTVS MEDIATOR ET  
*interceſſor fidelium.*

Eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dedit nobis Pater cœleſtis, vt ſit mediator & interceſſor omnium fidelium vnicus. Atqꝫ

D 3

hoc

hoc compendio mirifice commoda  
uit salutē & incolumitati fidelium  
in Ecclesia omnium. Intercessione  
illa sua efficit Dominus Christus,  
ne vsquam plenaria illa redemptio-  
ne excidamus. Et sicubi lapsi fueri-  
mus per imbecillitatem, ut per eum  
de mox restituamur diuine gratiæ.

Vnus autem est Mediator &  
Intercessor Christus Dominus;  
Quia solus est Deus & Homo, in  
vna persona geminam habens na-  
turam. Quoniam vero Deus est &  
homo, medium se inter partes, in-  
ter Deum, inquam, & homines in-  
gerere potest. Et commode quidē  
agit cum Deo, cuius ipse est natu-  
re atq; essentię: Commode item  
agit hominum causas: quia nobis-  
cum humana natura communicat.

Oportet autem Intercessorem  
vtriusq; partibus communem esse,  
adeoq; & æqualem. Oportet item  
Intercesso-

Intercessorem inter Deum & ho-  
minem, & nosse omnium hominū  
vota, & posse præstare omnia sa-  
lutaria, velle deniq; curare res ho-  
minum. Frustra enim Inuocatur,  
qui vel non audit, quod referunt  
inuocantes, vel non vult causam  
suscipere inuocantium, vel non po-  
test præstare, quod inuocantes po-  
stulant.

Itaq; simul & semel, vnico de-  
niq; momento Intercessorem vbi-  
que adesse, & omnium hominum  
corda nosse, adde & velle & posse  
ipsorum salutem omnino necesse  
est. Cui vero creaturæ tribueremus  
hanc potentiam & voluntatem per-  
fectissimam?

Propheta itaq; & Apostoli  
concordes, omnes homines ad De-  
um viuum verum omnipotentem  
& æternum relegant. Hunc per  
interuentum Iesu Christi inuocare  
docent.

1. 10. 2.

Inter multos Beatus Ioannes  
Apostolus & Euangelista: Si quis  
peccauerit, inquit, aduocatum ha-  
bemus apud Patrem Iesum Chri-  
stum iustum, & ipse est propiciatio  
pro peccatis nostris, non pro no-  
stris autem tantum, sed etiam pro  
totius mundi.

Io. 10. 22.

Nam ipse Dominus in Euan-  
gelio non ad Abraham, Isaac, et Ia-  
cob relegat afflictos & auxiliij in-  
digos, sed ad se colligens clamat:  
Venite ad me omnes, qui laboratis  
et onerati estis, et ego reficiam vos.

Io. 14. 16

Item, Quicquid petieritis in  
nomine meo, hoc faciam, vt glorifi-  
cetur pater per Filiū. Si quid peti-  
eritis per nomē meum, ego faciam,  
Amen amen dico vobis, Quęcun-  
que petieritis patrem in nomine  
meo, dabit vobis. Petite & accipie-  
tis; petite & dabitur vobis: Queri-  
te & inuenietis: Pulsate, & aperie-  
tur vobis

tur vobis. Quisquis enim petit ac-  
cipit; & quicumq; querit inuenit, et  
pulsanti aperietur. Videtis liquide  
preceptū inuocandi Dei per Chri-  
stum habere promissionem.

## DIVORVM INVOCATIO.

Inuocatio Diuorum autem, &  
ipsum Dei per diuos, neq; preceptū  
habet, neq; promissionem vllam,  
adde nec exemplum in veteri aut  
nouo Testamento vllum.

Et quorsum, obsecro, pertinet  
inuocare Diuos, aut Deum per Di-  
uos? An non est tibi satis potens,  
bonus, benignus & propitius Chri-  
stus, a Patre tibi datus interpella-  
tor & aduocatus? Etenim vel non  
credis, quem non accedis, vel plus  
credis & meliora polliceris tibi de  
Sanctis? vtrum autē feceris, pro-  
cul dubio grauiter peccaueris.

Corruit ergo in fide Christi  
vera, Diuorum patrociniū vel in  
D 5 tercelio

LIBELLVS EPIST.

tercessio atq; inuocatio. Fidelis enim post Christum non cupit sibi dari alium Intercessorem, vtpote, in quo scit se inuenire summa omnia, & quem credit à Patre propositum esse Aduocatum toti mūdo, eiusq; solius esse hanc gloriam, quā alteri non communicet, neq; eam vlli Diui cœlites inuadant.

DIVORVM CVLTVS.

Præterea cadit in vera fide Christi omnis superficiosus Diuorum cultus. Cum enim Dii nō sint, neq; inuocentur à fidelibus, certe non coluntur. Dominum Deum tuum adorabis, ait Dominus, & illum solum coles. Cultus autem partim internus, partim externus est, et cōstat maximè fide, spe & charitate, ritibusq; à Deo Ecclesijs traditis: Quæ quidem omnia nullo modo Diuis, sed soli Deo congruunt.

VE NE.

HEYNR BVLLNG.

VENERATIO ET HONOR DE  
betur Diuis.

Venerationem autem, seu honorem exhibent Sancti Diuis cœlitibus, id est, Beatis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribus, & fidelibus in cœlo agentibus animabus. Ex veneratione illa, non adorant, non inuocant, non colunt velut Deum Diuos, credētes. Sciunt enim hæc congruere soli Deo: Sed magnifice de ipsis & sentiūt et loquuntur, ceude electis Dei organis, quæ Deo fidem in terris seruant, nunc autem fœlices & beaticum eodem regnant in cœlis.

Laudant ergo eos propter virtutes, fidem & præstantia eorum opera prædicant. Et gratias agunt Deo, qui ipsos talibus ornauit virtutibus, orantes, vt ipsis quoq; diuina largitate donetur Diuorum insistere vestigijs, ipsosq; in æternam

## LIBELLVS EPIST.

nam consequi gloriam.

Talem vero honorem ipsi, propter virtutes, inpendere iubens Dominus, in Euangelio dixit (loquens de muliere, quæ ipsum in conuiuio vixerat): Amen amen dico vobis, vbi unquæ prædicatum fuerit Euangelium hoc, in toto mundo, hoc quoquæ, quod hæc fecit, narrabitur in memoriã eius. Nunquam ergo tacet Ecclesia, semper predicans virtutes Beatorum.

## MIRACVLA SANCTORVM.

Quamquam vero Deus stupenda per Sãctos in terra, & hic apud sepulchra beatorum, in cœlis agentium, opera miraculaquæ operetur, ipsi tamen sancti omnia ad auctoritatem omnium bonorum Deum referunt, vnicè hunc adorandum, inuocandum & colendum esse docentes.

Exempla huius rei clarissima extant

Matt. 26.

## HEYNR. BVLLING.

extant in Actis Apostolorum cap. 3 & 14, & Apoc. cap. 22.

Ita semper manet firmum & illesum in Ecclesia Dei Orthodoxorum dogma, Solum Deum Inuocandum, Adorandum, & Colendum esse.

## DE CVLTV DEI

Nusquam quoquæ docuit Christus, cultum Dei, à noui Testamenti populo exhibendum Domino, constare rebus corruptibilibus, auro, argenteo, gemis, purpura, & prætiosis rebus alijs, nisi quatenus ea impendantur pauperibus. Ergo in Christianorum templis, nullus luxus, nulla superbia, nulla auaritia, locum habet. Desijt iam dudum apparatus ille typicus Moysi. Veri adoratores adorant nunc Patrem in Spiritu & Veritate.

## SIMVLACHRA.

Verus templorum populi Christiani

Ioan. 4

## LIBELLVS EPIST.

ftiani ornatus constat puritate, syn-  
ceritate & integritate fidelium. Ac  
simulachra templa nostra adeo non  
ornant, vt prophanent potius. Nul-  
lus est enim vsus simulachrorum  
apud Christianos in Religionis ex-  
ercitio. Diserte enim & grauitè  
prohibentur à Deo in vtroq; testa-  
mento Idola.

Erasmus Roterodamus in libel-  
Catecheseos. Vsq; ad gratē Hiero-  
nīmi, inquit, erāt probatē Religio-  
nis viri, qui in templis nullam fere-  
bant imaginem, nec pictam nec  
sculptam, nec textam, ac ne Christi  
quidem. vtopinor, propter Antro-  
pomorphitas, Paulatim autem ima-  
ginum vsus irrepit in templa. Hec  
ille disertis verbis scripta reliquit,  
qui in controuersis dogmatibus di-  
ligerter cauit, ne nimium in hanc  
vel illam partem inflectens, partes  
offenderet.

EC.

## HEYNRVLLING.

ECCLESIA NON MVLTIS CÆ-  
*remonijs onerata sed paucis quibusdam*  
*rebus necessarijs instructa.*

Certè non oneravit multis cœ-  
remonijs Ecclesiam suam Domi-  
nus, sed alijs quibusdam rebus ne-  
cessarijs instruxit. Nam de Apосто-  
lica Ecclesia legimus, Et erant per-  
seuerantes in doctrina Apostolo-  
rum, & in communicatione & fra-  
ctione panis, & præcationibus.

Tenet autem primas in Eccle-  
sia doctrina, & illa quidem Apo-  
stolica, non quelibet. Nam præfer-  
tur doctrina & auscultatio minist-  
teriumq; Euangelij maximis vite  
officijs, adeoq; & charitatis. Au-  
scultatio etenim Mariæ præferitur  
Marthæ officijs. Et Petrus Apo-  
stolus iniquum esse auctumat, vt  
relicto verbi ministerio pauperum,  
mensis inseruiat, vnà cum reliquis  
Apostolis.

ORA.

Exod. 10.

Esai. 40.

Rom. 1.

1. Corint. 10

2. Corint. 6.

1. Iod. 5.

Acto. 3.

Luc. 11.

Act. 6.



## LIBELLVS EPIST.

## ORATIO.

Oratio Inuocationem continet, laudes & gratiarum actionem. Inuocatione oramus, vt vel bona concedat, vel mala depellat Dominus. Laudibus vehimus Dei gloriam. Gratiarum actione pro acceptis beneficijs agimus gratias.

Christus orationem plenissimam, vel formam orandi absolutissimam, & omnia in se complectentem, contexit, nobisq; tradidit apud Matth. in 6. cap. vt iam non commemorem in libro Psalmorum omnis generis Deum nobis suppeditare. Quorsum iam attinet his quidem plenissimis, diuinissimisq; omisissis, humana & incerta vel comminisci, vel ab alijs cōficta recipere

## CANTVS ET HORAE.

Nusquam sanè Dominus canere docuit, aut leges canendi prescripsit, Nec Apostoli eius preceperunt

## HEYN BVLLING.

ceperunt horas, quas vocāt, canonicas recitare. Liberum in Ecclesia semper fuit, vel canere moderate, vel a cantu abstinere. At precibus vendere scelus est corā Deo maximum, dicente Domino: vobis Pharisei & Scribæ hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, dum sub prætextu precibus prolixis precamini: propter hoc plus accipietis damnationis.

## BENEFICENTIA.

Porro communicatio, beneficentia est, de qua Apostolus: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscāmini: Talibus enim victimis delectatur Dominus. Cum enim venerit filius hominis iudicare viuos & mortuos, vltima illa sententia prædicabit opera misericordiæ, & misericordes ad gloriam vocabit. Immisericordes, & a beneficentiā alienos, dimittet in ignē æternum.

E Semper

LIBELLVS EPIST,

Semper ergo in hæc opera intendēt fideles, abhorrentes ab idolatria. Grandē enim scelus est, viua Dei templa & membra Christi negligere & perdere, cum possis seruare. Interim idola vestire, his palatia struere, cibos, potum, & pecuniam truncis offerre, quæ mox prodigant alea, scortis, venatione, adde & bellis, Sacrifici.

DE SACRAMENTIS.

Panis fractio in Actis nominatur: sed Sacramentorum pia & religiosa administratio & participatio intelligitur. Sacramenta, diuinitus instituta, sunt paucula, plena tamen & sufficientia Ecclesiae Dei. Baptismus videlicet & Cœna Domini.

BAPTISMVS.

Baptismo aperitur aditus in Ecclesiam, & ob signatur in nobis foedus

HEYNR BVLLING.

bis foedus illud, quo se nobis nosq̄ sibi obstrinxit Dominus, & quo nos per omnem vitam nostri admonet officij.

Semel autem sic cōstricti Deo, & vera religione ipsi soli religati, nihil cum quoq̄ preterea in religione paciscimur, nihil alijs vouemus. Vota autem nostra, Deo prestita, Deo persoluimus. Durat enim per omnem vitam nostram Baptismi mysterium, vt nihil sit necesse, nos alijs formis & Dijs nouis deuouere: nisi libeat primam datam fidem infirmare.

CAENA DOMINI.

Cœna Domini illustre est testimonium redemptionis nostræ, prestitæ nobis per traditum Corpus & effusum Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Est deniq̄ ob signatio eius communionis, quam nos habemus cum Christo, & ille nobiscum

biscū, Ipse enim Corpore & Sang-  
uine suo nos pascit & potat ad vi-  
tā. Nos Spiritu & Fide illa perci-  
pimus ad vitam, ac pro tanto bene-  
ficio gratias agimus Liberatori, lau-  
dantes bonitatem eius, & confœ-  
derātes nos, participatione Sacra-  
menti, cum omnibus in Christo  
fratribus.

## DE RITV SACRAMENTORVM.

Ritus autem vtriusq̃ Sacra-  
menti, tam Baptismi, quam Cœnæ  
Dominicæ, non aggravauit sump-  
tibus grauibus Dominus. Vt  
enim ipse aq̃ ia Iordanis ab homi-  
num sanctissimo Ioanne Baptisa-  
tus est: ita nullas præterea cæremoni-  
as vsurpauit, significans, nos vtiq̃  
perfectè baptisatos esse, & bap-  
tisati fuerimus ad exemplū Christi.

Sicut primus ipse Dominus  
Cœnam sacram pane & vino ce-  
lebrans, nullum luxum, nullam  
pompan

Ioan. 1. 9.  
Matth 3.

pompam, nullas operosas cæremoni-  
as nobis commendauit, vt sim-  
plicitatem sibi placere, & cor fidele  
internis bonis ornatum probaretur  
demonstraret.

Eunuchus certè Aetiopicæ <sup>Acto 8.</sup>  
Reginæ aqua per Philippum tin-  
ctus, secundum exemplum Salua-  
toris, non alias postulauit cōiungi  
cæremonias.

Et Paulus, Ego ait, accepi à  
Domino, quod & tradidi vobis. <sup>1. Cor. 11.</sup>  
Noluit aliud tradere Ecclesijs, quā  
quod acceperat à Domino. At  
quantula, quæso, illa sunt? Quis au-  
tem dixerit æternam Dei sapien-  
tiam, & summum Ecclesiæ Ponti-  
ficem, qui omnia benefecit, & per-  
fectissimè instituit, in hac sacro-  
sancta Cœna fuisse negligentio-  
rem, aut omisisse quod ad eius per-  
fectionem pertinere videtur?

Proinde, qui simpliciter & sine  
E 3 apparatu

apparatu Cœnam Domini ita celebrant, sicut instituit ipse Lux mundi Christus, adeo non peccant ut vetustissimam & optimam formam sequantur.

Quid, obsecro, nostra refert, quid post multos annos homines adiecerint, tandem ex Cœna mystica, lucrosam sibi & pomposam Missam construxerint: fruantur hac quibus volupe est, pane præterito, fursures mandere. Nos non tam curamus, quid hominibus visum sit, quam quid, qui ante omnes est, Dominus Dominorum, facere & obseruare præcipit.

Idem panem mysticum frangere, distribuere & edere iussit, non asseruare non proponere & adorare: non in pompa circumgestare, & ex Cœna mystica ambiciosum

ciosum spectaculum facere. Imò <sup>Matth. 24.</sup> prædixit, postremis temporibus venturos pseudoprophetas, qui dicant: Ecce hic Christus, aut illic. Sed addit: Nolite credere. Dabunt signa magna & prodigia, ita, ut in errorem deducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. Ratio, Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet in occidente, ita erit aduentus filij hominis. Non ergo humilis & obscurus, aut modo insensibili, aut ineffabili, sed glorioso prorsus aduentu redibit.

In cœlos ergo eleuantes mentes nostras Christum adoremus, ad Dextram Patris.

## LIBELLVS EPYST.

DE RELIQVIS QVAE VOCAN-  
tur Sacramenta.

Et quamuis in Ecclesia sedulo  
doceatur Pœnitētia, Quamuis lu-  
sto ordine Ecclesiæ ministerio de-  
putētur Ministri per manuum im-  
positionem, Quamuis doceatur in  
Ecclesia, honorabile esse connubi-  
um & cubile impolutum, Quamuis  
Catechismus in Ecclesia diligen-  
ter exerceatur cum pueris, & egro-  
tantes visitentur à ministris, con-  
firmantur in fide, ac curæ præcibus-  
que commendentur fidelium: id-  
circo tamen illa non sunt Sacra-  
menta, sed sancta quædam Dei in-  
stituta, non contemnenda aut ne-  
gligenda fidelibus, sed religiosè  
custodienda in Ecclesia, Quia no-  
bis sunt per scripturas tradita ab  
Apostolis, ac pertinent ad iustam  
Ecclesiæ constitutionem.

FIDES

## HEYNR. BVLLING.

FIDES CHRISTIANA IN VNO  
Christo omnia habet & quarit.

Ex his omnibus claret, fratres  
in Domino honorandi & dilecti,  
Deum Patrem bene velle humano  
generi, & ideo in mundum misisse  
filium, & in hoc toti orbi dedisse  
omnia vitæ & salutis. Cui quicun-  
que se totos consecrant, verè Chri-  
stiani sunt.

Samaritana illa dicebat, Nos  
scimus, quod cum venerit Messias <sup>Ioan. 4.</sup>  
omnia nobis sit annuntiaturus.  
Venit autem: Idcirco nihil nobis  
occultauit.

Paulus quoque, In Iesu Christo,  
inquit, omnes thesauri sapientiæ <sup>Coll. 2.</sup>  
& scientiæ sunt reconditi. Quo-  
niam in ipso inhabitat omnis ple-  
nitude Deitatis corporaliter. Et  
Estis in illo completi.

Idcirco omnia nostra huc ten-  
dere debent, fratres, vt Christum

E 5 nobis

nobis per doctrinam Euangeli-  
cam & Apostolicam, in scripturis  
sanctis prædicatum, complecta-  
mur rectissimè vera fide, & com-  
plexum in animis perpetuo re-  
tineamus. Ita enim omnia vitæ &  
salutis habebimus, extra quem  
nulla est Salus & Vita.

Verè enim beatus Ioannes  
dixit: Qui habet Filium, habet vi-  
tam. Qui non habet Filium Dei,  
vitam non habet.

Hæc est autem fides Christia-  
na vera, orthodoxa, & sincera,  
tradita nobis per scripturas san-  
ctas, & per Symbolum Aposto-  
lorum, id quod multi quidem  
verbis diseritis recitant, sensu au-  
tem ita vt decebat, nec expendunt  
nec retinent, Confitentur enim  
verbis se credere, sed dictis con-  
trarijs,

trarijs, & factis, mox id, quod con-  
fessi fuerant, subuertunt. Si vero  
verè credimus in vnum Deum,  
Patrem, Filium, & Spiritum San-  
ctum, inhereamus huic vnice ceu  
vitæ & salutis nostræ. Fides enim  
conglutinat nos cum ea re, in  
quam tendit, vt solum illud reti-  
neat, nihil aliud admittat, & in  
hoc vnico acquiescat.

#### HAERESSES ET HAERE- TICI.

Vtcunq; ergo clamitent ad-  
uersarij, nos & Hæreticos esse,  
& Hæreses spargere per nationes  
& populos: ipsa res tamen ip-  
sos impudentissimi arguit men-  
daci.

Execramur omnes Hæreses &  
Hæreticos ex toto corde, Valētinū  
& Basi-

## LIBELLVS EPIST.

& Basilidem cum suis. Nouatum  
& Praxeam cum suis. Hebio-  
nem et Artemonem cum suis. Ar-  
rium & Macedonicum cum suis.  
Manicheum cum suis. Donatum  
& Pelagium cum suis, Nestorium  
& Euthichem cum suis. Denique  
omnes hæreticos, à veteribus Ec-  
clesiæ Pastoribus, ex scripturis, vel  
in Concilijs, vel extra Concilia,  
damnatos.

Nemo ergo credat aduersario-  
rum nostrorum delationibus &  
mendacijs. Vnum enim Christum  
Iesum, Dei Patris coessentialem  
filium, à quo omnes Christiani de-  
nominantur, omnium cordibus  
cupimus infixum, vt is solus regnet  
in Ecclesia, quam sanctificauit suo  
sanguine: & vt glorificetur ab om-  
nibus, veluti caput, Rex, Pontifex,  
Intercessor, Iustici, et Salus vnica.

Viderunt autem ipsi, ex quo  
Spiritu

## HEYNR BVLLING.

Spiritu nobis Papam inculcent, quæ  
prædicant Christi esse in terris vi-  
carium, caput Ecclesiæ, Pastorem  
summum, Pontificem maximum,  
Regem Regum, cui data sit pote-  
stas in cœlo, & in terra, adde, Et  
sub terra, cui obedire per omnia sit  
de necessitate salutis.

## ANTICHRITVS.

Eum vero nos merito execra-  
mur vt Antichristum (qui in mun-  
dum ante iudicij diem magnum,  
uenturus erat) quod in eo omnia  
reperiantur, & impleta consent,  
quæcunq; in Antichristo imple-  
nda prædixerunt sancta Dei ora-  
cula.

## AN LICEAT HABITARE

*inter infideles.*

Sicut autem in fide Christi  
perseuerare oportet, ita necesse est  
nos palam dictis & factis confitere  
Dominum Iesum, & salutare ipsius  
Euange-

## LIBELLVS EPIST.

Euangelium. Fugere deniq; & execrari & doctrinam & sacra omnium, non colligentium cum Christo, sed dispergencium.

Licet sane Christianis viuere, inter Papistas, licet viuere inter Turcas, & Iudeos, Christiani enim Apostolorum tempore vixerunt sub imperio Romano, omni idolatria prophanato. Vixerunt Israelitæ sub Regibus Assyriorum & Babyloniorum in captiuitate Babylonica. Imò docente Hieremia, pacem Babyloniorum quaesierunt, & pro ipsis hostibus deprecari sunt: Debetis ergo & vos orare pro Papistis, adde & pro Turcis. Quin imò, cum Deus vos tradiderit in potestatem Turcarum, beneficijs & virtutibus, non dolis, malis artibus, aut sedicionibus quietem vobis parare contentis.

Concessit

Hiere. 29.

## HEYNR BVLLNG.

Concessit quippe Turcis Regnum. Et maiores ipsis vires addet metuo. Non quod religio ipsorum, à Mahomete tradita, vera sit & sincera: sed quia peccata virgamerentur.

Christiani enim sumus degeneres, & nihil minus quam quod dicimur. Coelitus ergo contra nos Turcis conceditur, quod Assyrijs, Babylonijs, Medis et Persis quondam contra populum Dei concedebatur.

Cæterum vtcunq; inter hos viuere liceat, minime tamen participare licet cum eorum fide, seu Religione, cum ritibus & Sacris ipsorum. Clara enim sunt Domini præcepta, ab Apostolis ubiq; inculcata: Seruemini ab ista generatione, Et, Exite de medio illorum. & separemini ab illis.

Nota



## LIBELLVS EPIST.

Nota sunt quæ scripsit Apostolus, 2. Corinth. 6. & 1. Corinth. 10. Clarissima est Domini sententia: Omnis, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo cœlesti. Et, qui me abnegauerit coram hominibus, abnegabo & illum coram Patre meo cœlesti, Verum hac de re copiosè & syncere scripsit dilectus & venerandus frater noster, Ioannes Calvinus, Geneuensis Ecclesiæ Pastor.

## AD CONSTANTIAM ET PATIENTIAM Adhortatio.

Quod si propter hanc synceram confessionem, & puram Religionem Christianam, et verè quidem christianam, vobis perferenda est persecutio, contumelia, depraedatio facultatum, & quod hostibus libuerit, adeoq; ipsa mors, cogitabitis, hæc nobis prædicta esse in

## HEYNR. BVLLING.

in Euangelio sancto, à Seruatore nostro Christo, & maximas nobis factas esse promissiones. Scio quæ & quanta nunc propter confessionem Christi mala & incommoda perferatis: & quanta sit in vobis Gratia Dei, & quam constans fides vestra. Dominus dona sua in vobis adaugeat, vt abundetis in omni bono, ac in finem vsq; perseueretis. Nam qui perseuerauerit in finem vsq;, hic saluus erit.

Et apud Prophetam ait Dominus. Cum auerterit se iustus à iusticia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea, et in iniusticia, quã operatus est, morietur. Omnes iusticię eius, quas fecerat, non recordabuntur. Certè propter Christum & veritatem eius, non autem propter nefanda scelera, pati graue non est. Ipse enim Christus

F  
prior

LIBELLVS EPIST.

Prior cum immensa copia Prophe-  
tarum, Apostolorum atq; Marty-  
rum passus est atrociam quæq;.

Sed & premia ingentia parata  
sunt, patienter sustinentibus mala.  
Apostolus enim, certus sermo est,  
inquit, Si mortui sumus, & con-  
uiuemus, Si sufferemus, & con-  
regnabimus, Si negabimus, & ille  
negabit nos.

2. Timot. 2.

Heb. 10.

Idem enim alibi, Pacientia vo-  
bis opus est, inquit, vt, vbi volun-  
tatem Dei peregeritis, reportetis  
promissionem. Nam ipse Domi-  
nus in Euangelio, Qui, inquit,  
vult mihi seruire, tollat crucem  
suam & sequatur me, Vbicunq;  
ego fuero ibi erit & minister me-  
us.

Matt. 16.

Ioan. 12.

Fœlicitas ergo maxima est,  
cum Christo & omnibus sanctis  
martyri-

HEYNR BVLLING.

martyribus coniungi in cruce in  
præsenti seculo, vt cum iisdem  
illis colligamur in gloria in futu-  
ro seculo.

Sed & breue & momentane-  
um tempus est passionis nostræ.  
Adhuc enim perpusillum tempo-  
ris est, & qui venturus est veniet,  
& non tardabit. Iustus autem ex  
fide viuet.

1. Pet. 1.

Rom. 8.

Habac. 2.

Qui autem vos persequuntur,  
fratres, illius ipsius corporis mem-  
bra sunt, quod ante nos Christum  
Dominum nostrum, Prophetas,  
Apostolos & Martyres afflixit.  
Et nos quidem eorum fratres su-  
mus, qui persecutionem sustinue-  
runt. Pharisei, Sacerdotes, & lu-  
dæi, qui volebant Dei populus  
videri, Sanctos persequantur  
olim. Et qui, obsecro, hodie nobis

Heb. 10.

LIBELLVS EPIST.

molesti sunt, nisi Episcopi, Sacerdotes & Monachi, qui & Principes in nos excitant atq; armant.

Zacha. 12.  
Ioan. 19.  
Cæterum præfixus est eis à Domino terminus, quem non transibunt. Videbunt olim quem transixerunt. Viuit enim qui venturus est iudicare viuos & mortuos, Igni, inquam, perpetuo additurus suos & Ecclesiæ suæ hostes. Fideles vero suos, in cœlestia secū perducturus gaudia.

Hunc Dominum & Redemptorē nostrum adoremus, fratres, In hoc perseueremus constantes, Hunc expectemus desiderantes, supplicibusq; oremus precibus, vt nostri, Ecclesiæq; suæ misereatur, à malo custodiat, & inculpato in diem illum vsq; conseruet.

Obsecro,

HEYN BVLLING.


Obsecro, fratres, sufferte sermonem hunc exhortationis & admonitionis meæ.

Salutate fratres, qui sunt in Tracia, & apud gentes vicinas. Salutant vos in Christo Sancti, qui apud nos sunt, omnes. Orate pro nobis Dominum.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & consolatio Sancti Spiritus, sit vobiscum semper.


Data Tyguri in Heluetia  
Anno Domini.

1559.



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



## LIBELLVS EPIST.

molesti sunt, nisi Episcopi, Sacerdotes & Monachi, qui & Principes in nos excitant atq; armant?

Zach. 12.  
Ioan. 19.

Cæterum præfixus est eis à Domino terminus, quem non transibunt. Videbunt olim quem transixerunt. Viuit enim qui venturus est iudicare viuos & mortuos, Igni, inquam, perpetuo addicturus suos & Ecclesiæ suæ hostes. Fideles vero suos, in cœlestia secū perducturus gaudia.

Hunc Dominum & Redemptorē nostrum adoremus, fratres, In hoc perseueremus constantes, Hunc expectemus desiderantes, supplicibusq; oremus precibus, vt nostri, Ecclesiæq; suæ misereatur, à malo custodiat, & inculpato in diem illum vsq; conseruet.

Obsecro,

## HEYN BVLLING.

Obsecro, fratres, sufferte sermonem hunc exhortationis & admonitionis meæ.

Salutate fratres, qui sunt in Tracia, & apud gentes vicinas. Salutant vos in Christo Sancti, qui apud nos sunt, omnes. Orate pro nobis Dominum.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & consolatio Sancti Spiritus, sit vobiscum semper.

Data Tyguri in Heluetia  
Anno Domini.

1559.

HEUTE BALLEIN  
Op den 1sten Junij 1717  
Ingenieur der Expedition  
Herrn von ...

Salute fratres, per ...  
Tunc, et quod ...  
Salute vos in Christo ...  
quod nos ...  
Ardete Dominum ...  
Grati Dominum ...  
Christi ...  
sine ...

Dans l'année  
Année 1717



22  
104

